



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Potestati Et Popvlo Bononiensi, spiritum consilij sanioris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

latam postposita omni occasione solemniter innovent & à suis faciant subditis innovari. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus quatinus si aliquis eorum, quod non credimus, mandati nostri extiterit negligens executor, tu eum, appellatione remota, canonica pena percellas. Datum Laterani vii. Idus Iunij, anno quartodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est ipsis super hoc.

*POTESTATI ET POPVLO
Bononiensi, spiritum consilij seniorum.*

*Epiſt. 79.
Vi relinquant
partes Ottonis.*

Mirari cogimur & moveri quod cùm Otto dictus Imperator, excommunicatus & maledictus, non cesset Romanam Ecclesiam impugnare, vos non tantum ei sed & fautoribus ejus, qui sunt excommunicati cum ipso, veltrum impeditis auxilium & favorem. Quocirca universaliter vestram monemus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta principiendo mandantes quatinus ab hujummodi proposito desistentes, nullum sibi vel suis auxilium aut consilium impendatis. Alioquin noveritis nos dilecto filio Albanensi electo apostolicae sedis Legato nostris dedisse litteris in mandatis ut personas excommunicationi & terram subiciat interdicto; quod si nec sic duxeritis resistentem, scholas de ipsa faciat civitate transferri. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis super hoc in eundem modum.

*ALBANENSI ELECTO,
apostolice sedis Legato.*

*Epiſt. 80.
De adiutorio
ne castri Fe-
rariae.*

Dilectus filius nobilis vir Marchio Estensis nobis humiliter supplicavit ut in Ferrariensi civitate confiduci castrum, per quod ipsam melius defendere valeat & ad fidelitatem Romanæ Ecclesie conservare, licentiam concedere dignaremur. Nosigitur id tuæ prudentiae committentes, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus quatinus super hoc statuas ad honorem & profectum Ecclesie quod visideris expedire. Datum Laterani vii. Idus Iunij.

*EPISCOPO CAPDAQVENSI,
& Abbatii Cavense Salernitanæ dioceſis.*

*Epiſt. 81.
De electione
Epitoci Poli-
castrenſis.*

Policastrensi Ecclesia dudum proprio viduata pastore, cùm ipsius Capitulum, sicut pro ejus parte fuit propositum coram nobis, obtenta licentia eligendi dilectum filium Archipresbyterum de Sapo-

naria in Episcopum unanimiter elegissent, quosdam ex Canonicis in Siciliam transmiserunt ad assensum regium obtainendum. Vnde cùm Rex nec super hoc nec super quibusdam personis alis postea, quod non licuit, nominatis ad eorum portuisset defilia inclinari, & ex parte ipsius Regis suggestum fuisset eisdem, communionibus intentatis, ut Iacobum ejus Medicum nominarent, ipsi Regis metuentes indignationem incurgere, dolentes pariter & inviti, dictum Iacobum elegerunt, qui cum dilecti filii nostri Gregorij tituli sancti Theodori Diaconi Cardinalis apostolice sedis Legati & Regis litteris ad venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Salernitanum accessit pro confirmationis & consecrationis gratia obtainenda. Sed Archiepiscopus prius quam in negotio ipso procederet, nostra responsionis oraculum requisivit. Cui dedisse recolimus in mandatis ut super electionibus in Policastrensi & Sarnensi Ecclesiis celebratis procedere retardaret, cùm disponeremus ad Regis presentiam nostros nuntios destinare, per quos super his & quibusdam alis nostram plenius intelligeret voluntatem. Vnde cùm Archiepiscopus memorando Iacobo responsum apostolicum rescripsisset, propriis litteris nostrarum tenore litterarum inserto, idem commotus dicitur respondisse: *Reverar ad Regis curiam, & ab his qui eligi me fecerunt, super consecratione mea favor & auxilium obtinebo.* Verum eodem postmodum apud Regis curia multiplicitate laborante pro confirmationis munere obtainendo, supradicti Capituli nuntij Cardinali praefato mandatum nostrum ad Archiepiscopum memoratum directum exponere curaverunt, & supplicantibus eidem ne dicto Iacobo ad consecrationis gratiam obtainendam auxilium vel favorem impenderet, ad sedem apostolicam appellarent. Cùm autem Cardinalis nostras ab eis litteras quævisisset, & ipsi earum penes se authenticum non haberent, ipse inducias eisdem indulxit, infra quas dictas ei litteras vel earum tenorem sub sigillo supradicti Archiepiscopi presentarent. Quorum recessu propter turbationem temporis retardato, ad Cardinalis presentiam redeuntes, cùm peterent inducias prorogari, Cardinalis ipse respondit se nullum eis terminum assignare, sed ipsi bona fide quam citè possent ad ipsius presentiam cum nostris litteris vel earum transcripto redire curarent. Cùmque maris turbatione pacata se ad iter accingerent redundi, in ejusdem Cardinalis praesencia